ſuaderetur, quam nobis, cum redemptionis noſtræ myſterium adimpletum eſt, & fides in omnem terrarum orbem eſt pervulgata. Synagoga illum tunc damnabat, Sacerdotes, atque Pontifices acerrimi erant illius perſecutores, at S. Martha illum eo ipſo tempore Dei Filium credidit, quo magis hac de re diſputatio fervebat. *Idem.*

Caritatis opera via ſunt, qua Cæleſtes gratias poſſumus promereri, præſertim vero gratiam noſtræ converſionis.

S. Marthæ exemplo docemur, Caritatis exercitia efficaciſſimam eſſe artem, qua Dei gratias promereri valeamus, ſeu ad ſinceram, perfectamque converſionem obtinendam, ſeu ad ciendam pietatem, ac altiſſimum Sanctitatis apicem aſſequendum. Ita eſt: quantumvis occalluerit cor, ac divinarum rerum guſtum amiſerit, nihil deſperandum eſt, cum pronus eſt in opera caritatis. Deus enim miſeretur noſtrorum malorum, cum alienorum nos miſereſcit; atque oculos nobis aperit, ut propriam egeſtatem intueamur, cum eos ipſi aperimus alienas viſuri. Hinc autem quibus gratiis, quibus favoribus non cumulat Deus eos, qui de ſe in perſona pauperum quos caros habet, bene merentur? Salvator adeo gratus eſt ob ea, quæ ſibi bona fiunt, ut centuplum in hac etiam vita remuneretur ſecundum id, quod ipſe palam pollicitus eſt, & ſi minus eadem bonorum ſpecie remuneratur, alia adhibet, quæ longe præſtantiora ſunt, atque pretioſiora. Summa igitur cura inſpiciendum nobis eſt exemplum, quod de officiis Caritatis in vita activa S. Martha reliquit, ut ea ſit nobis exemplar, & exemplar hoc nos erudiat, quomodo officia hæc ſunt obeunda. *Idem.*

Quomodo poſſimus cum Deo eſſe conjuncti in operibus Caritatis, quæ videntur nos extrinſecus diſtrahere?

Haud operoſum eſt intelligere, quo pacto ſemper Deo adhærere poſſimus, quin noſmet illum inter & proximum dividamus; quoniam quidquid pro altero a nobis fiat, dirigetur ad alterum, & diſſipatio, quam parit multitudo, minime poterit partiri mentem, cujus unum conſilium eſt, unus finis, videlicet propter Deum operandi. Hinc etiam intelligo, quomodo aliquando Deus ipſe relinquendus eſt pro proximo, quamvis melius dictum videatur, Deum pro Deo ipſo relinquendum eſſe; huic enim ſervitur, cum proximo opera impenditur. Hinc ſimul etiam intelligo, Marthæ partem non ſemper meliorem futuram pro parte Magdalenæ, ſi Dei juſſu agamus, ut Moyſes, qui montem reliquit, ubi ſolus Dei ſui colloquio perfruebatur, ut ad populum officio continendum deſcenderet: *Vade, deſcende: peccavit populus tuus. (Exod.32.)* Moyſes, hic non agitur, ut mihi preces effundas, agitur, ut dicto meo pareas. Ita, Judices, Deo cariores eſtis, cum jus dicitis, cum pupillum, & viduam defenditis, cum vitia, & delicta compeſcitis, quam cum ad aras provoluti Deum obteſtamini, interim muneris veſtri obliti, Ita, Patresfamilias, domeſticorum veſtrorum curam gerentes, ac prohibentes, ne Deus lædatur, opus facitis par orationi, quam aliis in circumſtantiis funderetis. Ita, Fideles, pauperibus ſubvenientes, vel pro ſalute proximi laborantes, Deo Sacrificium offertis, quod illi non minus jucundum accedit, quam orationis ipſius Sacrificium. Ars autem in eo poſita eſt, ut alterum altero fulciatur, & excitetur, utrumque officium hoc tempeſtive exercere, ſalutem ſuam nequaquam negligere, dum alienæ conſulitur atque omnia propter Deum operari. *Idem.*

Ex modo & circumſtantiis quibus S. Martha Salvatorem hoſpitio recepit videmus, quanti ab ipſa fieret.

Nihil magis magnum S. Marthæ fidem commendat, quam conſiderare circumſtantias mortis Lazari, ejuſque cum Dei Filio colloquium. Qui ex Judæis venerant, cives erant ſpectatiſſimi Jeroſolymæ, vel conſanguinei, vel affines, vel amici familiæ ipſius; ipſe vero noverat hos eſſe præcipuos Salvatoris inimicos, qui plurimis in occaſionibus vitæ illius inſidias poſuerant, qui doctrinæ & miraculis illius omnem abnegare fidem fuerant conati. Tamen domi ſuæ recipit Jeſum Chriſtum; Judæos, licet ex populo præſtantiſſimos negligit; occurrit Salvatori, cœnam inſtruit illa, cum uno illo colloquitur. Videtur flocci facere principes Civitatis, immo omnis illius ſermo eo tendit, ut illos confundat; tota illius converſatio eo directa videtur, ut fallaces illorum criminationes, atque contra Dei Filium blaſphemas refellat. Hi illum criminabantur quaſi ſeduceret populos; *ſeducit turbas*; Martha vero tenet illum ideo tantum veniſſe, ut homines ſalvos faciat. *Tu es Chriſtus... qui in hunc mundum veniſti. Joann.11.)* Hi probare conantur Jeſum Chriſtum blaſphemum eſſe, quia ſe Dei Filium, eique ſimilem dixit: *Quis poſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus? (Matth.9.)* Martha vero docet Jeſum Chriſtum Dei Filium eſſe genitum in ſplendoribus Sanctorum ab æterno: *Tu es Chriſtus, Filius Dei vivi.* Ita, o Deus, infantium linguas facis eſſe difertas ut ſapientes ſæculi confundas, & ore illorum perficis laudem, quæ tibi uni debetur: *Ex ore infantium, & lactentium perfeciſti laudem propter inimicos. (Pſam.8.)* Ita revelas ſimplicibus, quod juſto, ac terribili judicio Cæleſtis Pater prudentibus ſæculi abſcondit. *Auctor recens.*

Nimia anxietas, & ſollicitudo frequens eſt vitium in operibus Caritatis.

Vitium, quod ut plurimum in optimas etiam actiones obrepit, eſt nimium cum anxietate, & feſtinatione operari, ac naturale ingenium ſuum ſequi. Optima quæque hujuſmodi facta, ut plurimum imperfecta ſunt. Homo rationis ductu agere debet; Fidelis ductu gratiæ; qui ergo ſuam naturam ſecutus operatur, neque homo eſt, nec fidelis. Nimia feſtinatio optimas corrumpit actiones; fiunt vel intempeſtive, vel precipiti cura, & ſæpe hic deſtruitur, quod ibi ædificatur. Caritatis loco deſumitur, quod non aliud eſt, quam temperamentum; zelus dicitur, quod impetus eſt. Remedium eſt naturalem ſuam agendi feſtinationem coercere, ubi nimis fervens dignoſcatur; moderari anxiam ſollicitudinem, quantumvis bonum ſit, quod inſtat faciendum, ac tunc tandem operi manum admovere, cum intelligimus ſpiritum nobis eſſe pacatiorem. Nil autem præter hanc feſtinationem, ac turbam, quod in munifica hoſpita ſua deprehenderet nactus eſt Filius Dei, cum videns ardorem illius nimis agitatum, ut ipſi miniſtraret, dixit ei: *Martha, Martha, ſollicita es, & turbaris erga plurima. P. Nepveu in Chriſtianis animadverſionibus.*

Dei Filius liberalis eſt atque magnificus in retribuendis vel minimis, quæ ſibi adhibemur officiis.

Dei Filius nullum recipit officium, quod non reponat cum fenore; Fatendum eſt etiam, ipſum magnifice remuneratum fuiſſe bona officia, quæ a S. Martha recepit, Nam præter quam quod erat illam honore afficere, eamdem omnibus Judææ matronis anteferre, domum illius conſecrare, crebro ad illam divertere, ſexcenta illi præbuit amoris ſui documenta eadem in domo, in qua tot hoſpitalitatis recepit officia, Ibi ſermonibus ſuis Magdalenæ perfectionem, Marthæque ipſius ſanctificationem abſolvit: ibi illas præcipua, atque altiſſima fidei noſtræ docuit Myſteria; ibi ſua illis aperuit conſilia, & de morte, atque reſurrectione eſt collocutus. Ibi fletus ſuos lacrimis earum commiſcuit, cum ex ore illarum audiit mortem fratris earumdem. Ibi affectibus ſuis permiſit, ut ſeſe attollerent, ac ipſum hominem eſſe probarent, & amicum hominum. *Turbavit ſe ipſum, infremuit ſpiritu, & lacrimatus eſt, (Joann. 11.)* Ibi tandem miraculorum omnium maximum operatus eſt, ibi hoſpitam ſuam eſt remuneratus; nam ex ſermone, quem habuit, videtur Lazari reſurrectio fuiſſe fidei, & caritatis Sanctæ Marthæ remuneratio. Nobiſmet igitur hoc exemplo perſuadere debemus, omnia opera bona, quæ propter Deum facimus, ne unum quidem ſine præmio futurum, & illum in hac etiam vita relaturum gratias opellæ noſtræ ſupra ea, quæcumque ab illius magnificentia ſperare auſi fuerimus. *P. Senault Oratorii Presbyter.*

Summa quidem felicitas eſt vidiſſe Dei Filium in terris inter homines converſantem, audiviſſe oracula ex illius ore prodeuntia, & admiratum fuiſſe prodigia, quæ manus illius operabantur. Prophetæ hoc bonum optaverant; videre cupiverant, quod Apoſtoli triennio viderunt; nos quoque procul dubio hac gratia frui cuperemus; vellemus, ut olim S. Martha, illum domi excipere, pedes ejus abluere, illi menſæ accumbenti miniſtrare; optaremus procul dubio illi ea omnia præſtare caritatis officia, quæ Sancta ipſius hoſpita illi præſtitit: Sed hæc inutilia ſunt deſideria. Simus noſtra conditione contenti; felicitas noſtra nihil cedit Sanctæ hujus mulieris felicitati. Magna quidem perfruebatur voluptate hoſpitio recipiens Dei Filium: hoc verum eſt; ſed ſi ipſi pari bono perfrueremur, amor proprius, & vanitas ſeſe immiſcere poſſent, & quantumvis optima eſſet intentio noſtra, difficillime pietas noſtra careret cupiditate, quia præſens eſſet etiam remuneratio. Filii Dei Majeſtas, omnes carites, quæ in vultu illius emicabant, obtutuum ejus dulcedo poterant imminuere meritum amoris, & fidei hoſpitæ ſuæ. Sed cum illi in paupere famulamur, qui tantum abeſt quod amabili oris habitu nos illiciat, ut immo horrorem cieat; cum illi opitulamur in ægro, in quo nihil eſt, quod nauſeam non pariat, nihil quod patientiam noſtram non exerceat; cum non videmus Salvatorem, in his pauperibus niſi oculo fidei, & in illis nihil niſi mala, & miſerias deprehendimus, fides noſtras, & caritas majus habent meritum, & eo jucundiores ſunt Deo, quo pauperes iſti, in quibus eidem famulari credimus, majorem habent cum illo rationem.

Finis Tomi Primi Panegyricorum.

R. P. VINCENTII HOUDRY

BIBLIOTHECA CONCIONATORIA

COMPLECTENS

PANEGYRICAS ORATIONES SANCTORUM.

TOMUS SECUNDUS,

IN QUO CONTINENTUR

PANEGYRICI

IN LAUDEM

INSTITUTORUM ORDINUM RELIGIOSORUM,

Recens ex Gallico ſermone in Latinum tranſlati,

EDITIO NOVISSIMA.

VENETIIS,
Ex Typographia HEREDIS NICOLAI PEZZANA.
MDCCLXXIX.
SUPERIORUM FACULTATE.

BIBLIOTECA CENTRAL

TABULA ARGUMENTORUM;

Quæ continetur in hoc ſecundo Volumine Orationum in laudem Sanctorum Inſtitutorum Ordinum Religioſorum.

PRo Panegyrico S. Benedicti.	pag. 5
Pro Panegyrico S. Franciſci de Paula.	15
Pro Panegyrico S. Philippi Nerii.	28
Pro Panegyrico S. Norberti.	38
Pro Panegyrico Prophetæ Eliæ.	48
Pro Panegyrico S. Ignatii.	59
Pro Panegyrico S. Dominici.	73
Pro Panegyrico S. Bernardi.	85
Pro Panegyrico S. Auguſtini.	98
Pro Panegyrico S. Franciſci Aſſiſinatis.	114
Pro Panegyrico S. Thereſiæ.	130
Pro Panegyrico S. Franciſci Saleſii.	142
Pro Panegyrico S. Joannis de Deo.	160
Pro Panegyrico S. Urſulæ.	172

BIBLIOTECA CENTRAL

CONCIONATORUM BIBLIOTHECA, SANCTOS ORDINUM INSTITUTORES COMPLECTENS.

PRO SANCTI BENEDICTI MONASTICÆ VITÆ IN OCCIDENTE INSTITUTORIS PANEGYRICO.

MONITUM.

POſt Sanctos, de quibus in novo Teſtamento ſermo eſt, in delectu, qui mihi efficiendus fuit eorum, quorum vulgatius celebrentur Elogia, ratus ſum Ordinum Inſtitutores eſſe præferendos, quia fieri nequaquam poteſt quominus eorum Panegyrica habeatur oratio ipſo nativitatis eorum die de omnibus ſermonem habebimus; tum quia ad id longe plura implenda eſſent volumina, tum quia horum Ordinum non pauci jam obſoleverunt, vel in ſolitudinibus viventes, & procul ab oppidis, hanc non invexerunt conſuetudinem, Diem Feſtum Inſtitutoris ſui panegyrica oratione celebriorem efficiendi.

Inter eos vero Patriarchas, ad quorum laudes concinnandas ſupellectilem ſumus allaturi, vetuſtiſſimus, noviſſimus, idemque princeps, qui in Occidente Monaſticum ordinem inſtituerit, vel inſtauraverit, Magnus eſt S. Benedictus adeo celebris in toto Chriſtiano orbe, deſerti lumen, & inter præſtantiſſimos, maximoſque Sanctos Eccleſiæ numerandus. Sanctus hic, inquam, primus mihi ſe offert juxta illud, quod mihi propoſui conſilium; cumque Ordo, cujus Fundator eſt, latiſſime pateat, ut nullum ſit regnum, regio nulla, ubi die illius feſto non habeatur elogium, hujus argumenti ſermo Concionatori nonniſi perutilis, immo etiam neceſſarius eſſe poteſt; neque mihi arduum erit uberem rerum ſuppeditare copiam ad panegyricam in Sanctum hunc orationem elucubrandam, cum tanta ſit Auctorum, qui de eo locuti ſunt, frequentia, tanta actionum ejus celebritas, tanta Sanctitatis ejus præſtantia, tot miracula, quæ operatus eſt, tot tantæque heroicæ virtutes, quas exercuit, & quarum nobis exempla reliquit, præſertim vero admirabilis Ordinis ſui progreſſus, tantus virorum numerus dignitate, ſcientia, & Sanctitate illuſtrium, quos Eccleſiæ peperit, tantuſque fructus, quos per tot ſæcula tulit; quæ omnia procul dubio uberem dicendi copiam præbebunt, ſatiſque amplam ſuppeditabunt rerum ſupellectilem, ut in Magni Sancti hujus laudem habeatur Oratio.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex Sermonum hujus Argumenti Synopſis.

I. IN Sancto Benedicto poteſt oſtendi communis Dei Providentia, quæ pro conſiliorum ſuorum varietate celat, & profert in Mundi lucem Sanctum hunc virum. Oblectatur Deus in hoc eum virtutum cumulum congerere, quæ animam a ſæculi corruptione tuentur; ſed ubi advenit tempus, quo gratiæ illius fuerunt palam in lucem ferendæ, ſuper hoc humilitatis, ſapientiæque fundamento gloriæ, atque fulgoris extruxit ſanctitatem. Igitur Sanctus Benedictus ſub duplici hoc aſpectu a nobis eſt conſiderandus.

1. Deus Sanctum hunc Mundo abſcondit, ut in ſolitudine illum ſanctificet.

2. Deus Sanctum hunc Mundo profert, ut per ejus regulas, & exempla Mundum reformet. Pro priori parte dici poteſt. 1. Succeſſum, ac ſeparationem a mundo in ſæculis corruptis atque multiplici vitiorum labe infectis habitam ſemper fuiſſe, juxta Evangelica principia, veluti conditionem illis neceſſariam, quibus verum eſt deſiderium proficiendi, ac ſeſe in pietate perficiendi. In ipſis Chriſtianæ Religionis incunabulis nil fidelibus utilius erat ſocietate, & conſuetudine, quam habebant inter ſe; ſed poſtquam mundus corrumpi cœpit, & Chriſtianis nihil reliquum fuit, quam ſui Capitis nomen, quin negotium illis faceſſeret puritas morum, quæ tantum hoc nomen decet, nec non periculis plenum ſit in civili ſocietate vivere, ne exemplo, & conſuetudinis torrente rapiantur: opus fuit, ut qui pietatem vellent tueri, ab omni cum ſæcularibus conſuetudine ſecederent, ut animas ſuas ſalvarent, quemadmodum dixit Angelus Loth: *Salva animam tuam.* Dici poteſt 2. Deum Sancto Benedicto, dum adhuc inter pueros verſaretur, cum jam a teneris uſque unguiculis ætatis provectioris ſapientiam haberet, ac divini afflatus experientiæ locum obtinerent, oſtendiſſe quanta ſint hujus vitæ in mundo pericula, & effeciſſe, ut conſilium caperet a mundo ſecedendi tunc maxime cum omnia videbantur confluere, ut magis magiſque mundo adhæreret. Omnia præſto ſunt, ut illum morentur, Majorum nobilitas, ingenium felix, voluptas, Romanæ juventutis exemplum; via hæc nimis eſt floribus conſita, ſed adducit in præceps; & Benedictus in imis animæ ſuæ penetralibus hanc audit vocem: *Salvum te fac, ne tu ſimul pereas.* 3. Oſtendendum eſt qua fidelitate Benedictus gratiæ reſpondeat. Non hæret; interiorem ſequitur vocem, & mundi erroribus abjectis antequam illum cognoſceret, doctus ſine ſtudio, relinquit opes, voluptates, ſodalitates, ut ſe recipiat in antrum, ac inacceſſam rupem, ubi ſolo vivit pane & aqua,

BIBLIOTECA CENTRAL

ſibi per fidelem amicum delatis. Egreditur, ut ita dicam, ex ipſa natura, ut ſeſe in ſepulcrum conjiciciat; jam ſæculo mortuus eſt, ac brevi fit cæli civis. Vidimus in priori parte Sanctum Benedictum fugiſſe mundi gloriam, ſeſe oculis illius ſubtrahentem, ac Deo uni placere cupientem, videamus modo, quomodo Deus illum in mundi lucem proferat.

Pro altera parte hoc ſatis eſt cogitare. 1. Multitudinem miraculorum, ac prodigiorum, quæ per Sanctum Virum hunc operatus eſt Deus, & quæ miracula Patriarcharum veteris Teſtamenti exæquarunt, & Prophetiæ donum, quo illum dignatus eſt Deus. 2. Fecit Deus, ut cognoſceretur a plurimis, qui confluebant ad ipſum, ut religioſam vitam amplecterentur, a principibus viris, qui eum conſulebant, immo etiam a rege Barbaro, qui eumdem inviſit. 4. Protulit etiam Deus ſervum ſuum per ſanctiſſimas regulas, quas edidit ad morum reformationem, quas innumera ſtatuum omnium multitudo amplexa eſt, qui per illas ad ſummum perfectionis apicem evaſerunt. *Flechier.*

II. *Tanquam prodigium factus ſum multis.* Sancti haberi poſſunt velut prodigia, cum Deus oſtendit in illis virtutes, quæ videntur oppoſitæ, & cum illi eliciunt, ut Scriptura loquitur, lumen ex tenebris, & vitam ex morte. Ita in S. Benedicto poſſumus admirari ſanctitatis prodigium per virtutes & facta, quæ prodigium & miraculum potius ſapiunt, quam communem Dei agendi rationem cum aliis vulgo Sanctis; ſimulque fidelitatem eorumdem Sanctorum in conciliatione harum virtutum, quæ ſibi adverſari videbantur. Hoc in S. Benedicto poſſumus admirari, qui ſimul conſociavit

1. Solitudinis obſcuritatem, ubi latuit toti mundo ignotus, cum fulgore exiſtimationis, quæ ad illius deſertum perduxit terræ principes, & eos, qui præ ceteris magis nitebant.

2. Pofundam humilitatem cum dignitate, quam hominum ambitio concupiſcere conſuevit; videlicet poteſtatem in omnem naturam maxima miraculorum vi in ferme infinita multitudine ſubditorum, qui regulam ipſius ſecuti ſunt, ac demum in felici glorioſiſſimorum facinorum ſucceſſu.

3. Paupertatem, atque inopiam rerum omnium hujus mundi cum temporalium, ac ſpiritualium bonorum affluentia, quæ illius merces fuerunt.

III. Videmus Sanctos, qui aliis, aliiſque modis ſe ipſos ſanctificant; alii publicam hebent ſanctitatem, quam inſignibus virtutibus adquirunt; alii privatam & ſecretam, quam virtutibus obſcuris, & ſine fulgore adipiſcuntur; verum non deſunt quidam præ ceteris divino affecti privilegio, qui in perſona ſua virtutes omnes colligentes Deum mirum in modum glorificant. Felicem hanc immixtionem in Sancto Benedicto deprehendimus, quandoquidem habet ille veluti duplicem, eamque diverſam ſanctitatem.

1. Sanctitatem particularem, & ſecretam, quam adeptus eſt in ſolitudine, & obſcura, & latenti vita ſtatus Religioſi.

2. Sanctitatem publicam, ac inſignem propter miracula & prodigia, quæ operatus eſt, efficiens, ut ita dicam, ut virtutes, quæ mundo mortuæ videbantur, reviviſcerent. *Biroat.*

IV. *Juſtum deduxit Dominus per vias rectas, & oſtendit illi regnum Dei, & dedit illi ſcientiam Sanctorum: boneſtavit illum in laboribus, & complevit labores illius. Sap.* 10. Hæc Sapientiæ verba ſuppeditare poſſunt diviſionem Panegyricæ Orationis in Sancti hujus laudem.

1. Illum *deduxit Dominus per vias rectas* immittens eidem cupiditatem relinquendi mundum, ut ſe reciperet in ſolitudinem, ubi maximas exercuit virtutes, humilitatem, ſui ipſius abnegationem, arctiſſimam cum Deo unionem, atque admirabilem mortificationem.

2. *Et oſtendit illi regnum Dei, & dedit illi ſcientiam Sanctorum.* Oſtendit illi Deus viam, quæ tutius ad Dei regnum adducit, faciens illum Patrem, atque Inſtitutorem Ordinis, qui plurimos edidit Sanctos, qui in omnem terrarum Orbem ſe ſe effudit, cujus Regulæ, atque ſtatuta fuerunt norma, & exemplar omnibus Religioſis Ordinibus, qui deinde in Eccleſia nituerunt.

3. *Et boneſtavit illum in laboribus, & complevit labores illius.* Succeſſus, quem largitus eſt Deus laboribus ejus; inæſtimabilis fructus, quem peperit in Eccleſia per tot Regnorum converſionem; magnorum virorum numerus, quos hic Ordo protulit, & qui rexerunt Eccleſiam, honeſtarunt, effeceruntque celebrem & glorioſum in univerſa terra.

V. 1. S. Benedictus Chriſtianæ pietatis fervorem in Eccleſia inſtauravit, ubi fere extinctus erat; plures convertens homines, & regiones, atque efficiens, ut in aliis pietas, & Religionis officia refloreſcerent, in quibus vix aliquod veſtigium ſupererat.

2. Revocavit, inſtauravitque veterem Eremitarum in Oriente diſciplinam, eamque primus inſtituit in Occidente, ubi plura ſæcula floruit.

3. Fuit perfectionis Evangelicæ exemplum, & regula Religioſis omnibus &c.

VI. *Faciam te in gentem magnam: benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, eriſque benedictus.* Geneſ. 12. Videtine poſſunt magis magnificæ promiſſiones præ iis, quæ in his verbis continentur, quæ olim Deus Abrahæ dixit? Quis autem vidit umquam majorem Deo obedientiam, quam in Sancto hoc Patriarcha, qui, ut Sanctus Ambroſius ait, actibus ſuperavit omnes conceptus, quos de ſummis viris ſibi effinxerunt Prophetæ. Sed hic Dei amicus adeo ſanctus, atque perfectus, cui neminem ſimilem inventum fuiſſe Veritas ipſa teſtatur, hodie in Sancto Benedicto ſibi ſimilem invenit. Profecto inter utrumque ſimilitudo mihi adeo perfecta viſa eſt, & adeo nobilis comparatio, ut ad hujus laudes celebrandas nihil mihi aptius viſum, quam dicere, ſi Abraham benedictus fuit per antonomaſiam in veteri Teſtamento, Sanctum Benedictum fuiſſe Abraham novi; hoc eſt, Patrem Patriarcham, atque inſtitutorem Cœnobitarum, qui ſunt velut primi fideles inter Chriſtianos. Si prior habuit poſteritatem adeo frequentem, ut ſtellas cæli, mariſque arenam exæquaverit; ullane extitit umquam Sanctitas adeo fecunda, ac illa Sancti Benedicti, qui fuit velut arbor procera, quæ ramos ſuos a mari uſque ad mare protendit, & quæ inæſtimabiles fructus in tota Eccleſia produxit? Sed ne credatis, utrumque tot favoribus cælitus cumulatum fuiſſe, antequam traducti fuerint per gravia pericula, &, ut inquit Scriptura, per moleſtas tentationes, quæ illorum fidelitatem aliis oſtendendam, admirandamque præbuerunt. Quamobrem in hoc ſermone videbimus.

1. Quomodo deduxerit Deus S. Benedictum per eaſdem vias eademque de illo pericula fecerit, quæ olim de primo fidelium.

2. Quomodo Deus illi eadem præmia, eaſdemque contulerit benedictiones, quas veteri huic Patriarchæ; quæ tota erit hujus Elogii partitio.

Pars prima.

Sicuti ea ſolidior virtus eſt, & pietas conſtantior, quæ ſæpius, atque vehementius tentata fuit: mirum vobis eſſe non debet, ſi S. Benedicti virtutem vobis oſtenſurus, initium duco ab iis tentationibus, quibus voluit Deus illius ſanctitatem experiri, ut olim Abrahæ; hoc enim effecit, ut illius virtus cognoſceretur, ac inde meritum illius poſſet æſtimari. Noſtis autem, ut reor, voluiſſe Deum periculum facere fidelitatis primi illius Patriarchæ tres præſertim ob cauſſas, quæ effecerunt, ut omnia illum ſæcula admirarentur, & ut Deus ipſe glorioſum hoc illi perhiberet teſtiminium: *Nunc cognovi, quod timeas Deum.* (*Geneſ.* 21.) Primum autem contigit, cum juſſit eum domum, patriamque terram relinquere, ut eo ſedem rerum ſuarum transferret, quo a Domino vocabatur: *Egredere de terra tua & de cognatione tua.* (*Geneſ.* 12.) Rurſus, cum illi ſeveram Circumciſionis legem irrogavit, ſignum fœderis, quod perculſurus erat cum eo, & characterem, quo diſtinguendus erat ipſe, totaque ejus poſteritas ab aliis nationibus, & omnino cum familia ſua ſeparandus ab illis. Denique omnium graviſſimum, atque difficillimum illud fuit, cum ei præcepit, ut ſibi id, quo nihil in terris illi ſuavius erat, ſacrificaret: *Tolle unigenitum tuum, quem diligis, Iſaac.* Hæc eadem ratio eſt, quam ſervat Deus erga Sanctum Benedictum, qui poſtquam illi libertatem, voluntatem, omneſque affectiones ſuas ſacrificavit, regularem vitam amplectens, illius extitit exemplar, & primus ejuſdem parens in Occidente.

Pro altera parte; ſatis eſt, vobis oſtendam, S. Benedictum, poſtquam Deo præbuit eadem fidelitatis experimenta, ac Abraham Patriarcha, eadem etiam præmia, & benedictiones conſecutum fuiſſe. Ad id attendendum eſt, quid olim promiſerit Deus illi, quem elegerat, ut pater eſſet populi ſui. Primum igitur ad illius perſonam ſpectabat, quem bonis, & gloria ſe cumulaturum promiſerat: *Magnificabo nomen tuum.*) *Ibid.*) Alterum ad filios, & poſteritatem ejus, quam illi promiſerat futuram veluti ſtellas cæli, & maris arenam. *Multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cæli & ſicut arenam, quæ eſt in litore maris.* Tertium denique ad omnes terræ nationes in illius gratiam; quia temporum decurſu participes erant futuræ fructuum hujus benedictionis: *& in te benedicetur omnes cognationes terræ.* Nonne vobis hæc verba continere ſimul videntur promiſſionem, quam facit Deus primo huic fidelium parenti, & vaticinium earum gratiarum, quas primo huic Cœnobitarum Patriarchæ deſtinabat?

VIII. *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem &c. propter nomen meum: centuplum accipiet &c. Matth.* 19. Centuplum duobus modis accipitur: primo ſecundum S. Hieronymi ſententiam, videlicet quicumque propter Deum aliqua terrena ac temporalia bona reliquerit; hunc pro mercede ſpiritualia bona accepturum, quæ propter dignitatem ſuam, atque præſtantiam ſupra ea bona, quæ derelicta ſunt, centuplum haberi poſſunt: modo alterum, ſecundum Caſſianum, alioſque plures SS. Patres, centuplum hoc intelligendum eſt ad litteram, & quantum fieri poteſt, in eadem ſpecie bonorum, in qua erant ea, quæ derelicta fuerunt. Juxta quod principium.

1. S. Benedictus abrenuntiavit univerſæ mundi hujus gloriæ, vitam latentem, abditamque vivens in ſolitudine, relinquens nobilitatem, magiſtratus & honores, quos in hoc mundo ſperare potuiſſet; & Deus illum remuneratus eſt gloria toto cælo majori, illum efficiens in univerſa Eccleſia celeberrimum.

2. Abrenuntiavit omnibus terræ ſuæ bonis religioſam paupertatem amplexus; Deus vero effecit ut in paupertate cordis theſaurum inveniret, quo vere locuples factus eſt coram Deo; ut loquitur Scriptura; & præterea illud temporalibus opibus auxit, ita ut credatur Ordo illius poſſediſſe trientem bonorum Eccleſiaſticorum; quod reipſa centuplum ipſum excedit.

3. Abrenuntiavit libertati ſuæ, amplectens, atque inſtituens Regularem ſtatum, eo modo, quo in præſentiarum viget in Eccleſia; & videtur Deus illius poteſtati ſubjeciſſe naturam omnem per inſignia miracula; ac deinde plurimos Monachos, qui illius Regulas, ac voluntates ſecuti ſunt.

PARAGRAPHUS II.

Fontes, unde hauriri copia poteſt ad propoſitas Sermonum ſtructuras exornandas, & Auctores argumentum hoc pertractantes.

Sancti Patres aliique Auctores.

SAnctus Gregorius Magnus in dialogis ſuis totam S. Benedicti vitam deſcripſit, & quidquid alii dixerunt de virtutibus, & miraculis ejus, de ſanctitate, actionibus, benedictionibus Dei in ejus perſonam, & Ordinem; omnia denique, quæ de illo ab Auctoribus dicta ſunt, ex hoc fonte hauſta ſunt. Hoc eſt peculiare S. Benedicti elogium, quod Summus Pontifex, Eccleſiæ Doctor, Jeſu Chriſti Vicarius illius Panegyricum ediderit, & quod os idem, quod Cæli decreta protulit, laudes ejus protulerit.

S. Bernardus in ſermonibus *de tempore*, ſermonem habet in diem feſtum S. Benedicti, ubi illius juſtitiam, pietatem, ſanctitatem, regulamque commendat, quam a Spiritu Sancto dictatam fuiſſe opinatur.

Abbas Guerricus & ipſe de S. Benedicto quatuor ſermones edidit, & Abbas Goffridus duos; Laſpergius autem unum, qui in altero Operum ſuorum tomo invenitur.

Aymoinus Monachus *Serm. in feſtiv. S. Benedicti*, in unum ſermonem coegit, quidquid alii ante ipſam in S. Benedicti laudem dixerant; eumque iis, qui præ ceteris Sanctitate floruerunt, comparat.

Beda Venerabilis *Homil. in die Natali S. Benedicti*, ubi centupli promiſſionem probat erga Sanctum hunc.

S. Bruno ſermonem habet in S. Benedicti feſtum, cujus thema hæc verba ſunt: *Nemo accendit lucernam & ponit ſub modio &c.*

S. Petrus Damiani duos habet hujus argumenti ſermones, alterum quidem in pervigilio feſtivitatis, ubi verba facit de illius morte, ejuſque circumſtantiis; alterum vero in ipſo feſto die, ubi pro themate illa uſurpat verba: *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te.*

S. Odo Abbas in quodam ſermone de Sancto hoc loquitur de illius miraculis, deque populorum in ipſum devotione.

S. Thomas Aquinas duos habet ſermones, alterum in illa verba *Dilectus Deo, & hominibus &c.* ubi oſtendit præfiguratam fuiſſe in Moyſe in ſolitudine, & exitu de deſerto; alterum autem in illa: *Nemo accendit lucernam, & ponit eam ſub modio.*

Aſcetici.

P. Haineuve ſub finem partis ſecundæ Meditationum ſuarum, unam habet in feſtum S. Benedicti diem.

P. Suffren in Anni Chriſtiani tomo ſecundo.

P. Novet ſimiliter ſatis extenſam habet Meditationem in tomo, cui titulus; *Vita Jeſu in Sanctis ſuis.*

Tomo quarto collationum Abbatis Trappenſis, unam de S. Benedicto reperies.

P. Thomaſinus de Feſtis l. 1. c. 7. ſatis prolixe de hoc agit Sancto.

P. Pagi die 26. Martii, qua die tenet Sanctum hunc obiiſſe, latius de eodem verba facit.

Molinier in tomo 2. Panegyricorum.

Concionatores recentes, qui S. hujus Panegyricum ediderunt.

P. Senault Oratorii Presbyter tomo primo Panegyricorum.

Idem tomo ſecundo, Sermone de translatione illius.

P. Le Jeune & ipſe Oratorii Presbyter in parte 4. operum ſuorum ſermonem unum habet de S. Benedicto.

P. Duneau in tomo ſecundo Panegyricorum.

Biroat, tomo primo Panegyricorum.

P. Texier tomo ſecundo Panegyricorum.

Auctor Sermonum in omnia Ethicæ Chriſtianæ argumenta in tomo ſecundo Panegyricorum.

Inter elogia Hiſtorica, tomo primo, adeſt Sancti hujus Elogium.

In Sermonibus in diverſa Ethicæ argumenta &c. tomo 4. invenies Elogium S. Benedicti.

In ſpecimine Panegyricarum Orationum tomo primo, tres deinceps ſunt orationum hujus argumenti ſtructuræ, ac tria ſermonum de S. Benedicto compendia.

Qui vitam Sancti hujus ſcripſerunt.

Præter vitam S. Benedicti fuſius a S. Gregorio Magno deſcriptam, & præter ea, quæ in Menologiis habentur, Paulus Diaconus Montis Caſſini cœnobita in Longobardorum Hiſtoria.

S. Leo Oſtienſis. Trithemius de viris illuſtribus Benedictinis Tomo primo de actis S. Benedicti.

Potiſſimum vero S. hujus vita, & compendium hiſtoriæ Ordinis ejuſdem, edita a P. D. Joſeph Mege ex Congregatione S. Mauri Monacho.

Qui ſi deſint Auctores, ſolæ Eccleſiaſtici Officii lectiones, quæ feſto die Sancti ejuſdem leguntur, ſatis ſupellectilis ad illius Panegyricam orationem elucubrandam miniſtrant:

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, Figuræ, & Applicationes Scripturarum huic argumento.

EGredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monſtravero tibi. Geneſ. 12.

Faciam te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum; eriſque benedictus. Ibid.

Leva oculos tuos, & vide, a loco in quo nunc es ad Aquilonem, & Meridiem, ad Orientem, & Occidentem, omnem terram, quam conſpicis, dabo tibi, & ſemini tuo uſque in ſempiternum. Ibid.

Faciam ſemen tuum ſicut pulverem terræ: ſi quis hominum poteſt numerare pulverem terræ, ſemen quoque tuum numerare poterit. Ibid.

Attendite ad Abraham patrem veſtrum, quia unum vocavi eum, & benedixi ei, & multiplicavi eum. Iſ. 51.

Dilectus Deo, & hominibus, cujus memoria in benedictione eſt. Sap. 45.

Similem illum fecit in gloria Sanctorum. Ibid.

Glorificavit illum in conſpectu Regum. Ibid.

Dedit illi coram præcepta, & legem vitæ, & diſciplinæ. Ibidem.

Ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor ejus. Oſee 2.

Ecce elongavi fugiens, & manſi in ſolitudine. Pſ. 54.

Elias dum zelat zelum legis, receptus eſt in cælum. 1. Machab. c. 2.

Quid exiſtis in deſertum videre: arundinem vento agitatam? ſed quid exiſtis videre? Prophetam? etiam dico vobis pluſquam Prophetam. Luc. 3.

Pepigi fœdus cum oculis meis, ut non cogitarem de Virgine. Job 31.

A muliere compta averte faciem tuam. Eccli. 9.

Qui viderit Mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo. Matth. 5.

Hic eſt, qui fuit in Eccleſia, in ſolitudine, cum Angelo, qui loquabatur ei. Apocal. 7.

Figuræ, & Exempla Veteris, novique Teſtamenti.

UBi conſiderantur Verba, quæ dixit Dominus Abrahæ: *Egredere de terra tua & de cognatione tua, & de domo patris tui... faciamque te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum; eriſque benedictus*; videntur dicta S. Benedicto, & ſub figura illius antiquæ legis Patriarchæ, deſcribi imaginem Patriarchæ legis novæ; qui non ſecus ac ille interiori Divini Spiritus motu tactus, jugulans in corde ſuo affectus, ſenſuſque naturæ, nonne ſtatim, audiit, cognovitque, abrenuntiavit cuicumque cupiditati, ac ſpei, quam mundus, & amor proprius ciet in illis, qui pari ſunt genere, ingenio, ætate? Nonne ſtatim egreſſus eſt de voluptatis, Romanarumque deliciarum domo, ut in agreſtem ſpecum ſeſe conjiceret inter ſanctæ ſolitudinis horrores? Nonne ibi toto vitæ ſuæ ſpatio manſit inter Providentiæ manus, habens ante oculos legem Dei, ejus verbum in ore, miſericordiam in animo, & in corde caritatem? Deus replevit illum hoc ſpiritu abdicationis, uti Abraham; uti Sanctum hunc Patriarcham ſuis benedictionibus, & gratiis cumulavit illum: abditæ illius virtutes diſſiparunt ſolitudinis ejuſdem caliginem; fecit illi Deus nomen magnum, non ſecus ac Patri Credentium; & ſicut priſco illi, cæli ſecreta huic revelavit. Uterque populos pedibus ſuis provolutos viderunt; & Deus illis aperiens futura per temporum nebulas oſtendit eis multitudinem, & gloriam ſpiritualis ipſorum poſteritatis. *Et magnificabo nomen tuum, faciamque te in gentem magnam; eriſque benedictus.*

S. Benedictus cum S. Joanne Baptiſta collati.

Quod olim populis dixit Dei filius, quos innocens deſiderium videndi S. Joannem Baptiſtam in deſerto paſſim ex urbibus eduxerat: *Quid exiſtis in deſertum videre?* (*Matth.* 11.) hoc ipſum vobis dicere poſſum, ut veſtræ ſatisfaciam pietati, vel potius ut in mentibus veſtris ſublimem illum foveam conceptum, quem animo imbuiſtis Benedicti diſcipuli fidelis, perfectique imitatoris humilis hujus, auſterique Præcurſoris Domini. Uterque a puero in ſolitudine ſe receperunt; uterque ibi pœnitentiæ baptiſmum exemplis ſuis prædicarunt, magis quam verbis uterque inſiſtentes veſtigiis penitus fere obliteratis, Joannes quidem Baptiſta Eliarum, & Eliſæorum; Benedictus vero Paulorum, atque Antoniorum, homines in deſertum ſuum pertraxerunt, & Domini vias præpararunt: uterque eodem animati ſpiritu, uterque ad idem miniſterium vocati, uterque ſimilibus fere gratiis præventi, mundi quidem inconſtantiam damnavere, qui arundinis inſtar vento paret, per ſuam in virtute perſeverantiam, ejuſque per vitæ ſuæ auſteritatem damnavere mollitiem. Quid ergo in deſertum S. Benedicti venitis viſuri? Num *Prophetam?* Prophetarum inſtar hic remotiſſima penetrat ſæcula, & illi explorata ſunt, quæ ſunt futura. Quid venitis viſuri? *Prophetam*, qui velut fidelis diſcipulus audit Deum, ſeque ſpiritu illius replet; hominem, qui *pluſquam Propheta*, deducit tanquam ſapiens magiſter diſcipulos ſuos ad Deum, eiſque ſpiritum ſuum comminicat; *Plus quam Prophetam.*

BIBLIOTECA CENTRAL